

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus Caput 9: De prelatis ecclesiasticis (8)

Hugo in libro de clastro anime et corporis ait:

Audiat negligens pastor, quid sibi et diligent pastori dicatur.  
Bonus, inquit, pastor animam suam ponit pro ovibus suis, mercenarius autem fugit.  
Animam suis pro ovibus ponit, qui periculum regiminis ascendens,  
clauso silentii hostio, claustralium gregem in pace custodit.  
Animam suam ponit, qui ad sustinenda iurgia rei familiaris solus erit,  
qui inter adulantium detrahentiumque linguas incedit medius,  
qui pro infirmis laborat, et laborantes pascit,  
consolatur pusillanimes, et superbos redarguit.  
Talis pastor dicere potest: Cognosco oves meas, et cognoscunt me mee.  
Cognoscunt oves pastorem, quem sepe vident presentem,  
quem subiectis familiaritatis votum, beneficiis reddit amicum.  
Oves vero pastor cognoscit, dum subditorum mores et actus diligenter attendit.  
Unde scriptum est: Considera diligenter vultum pecoris tui.

Pastor autem negligens fugit. Sunt enim quidam prelati qui fugiunt.  
Cum enim onera gravia et importabilia imponunt,  
humeris subditorum digito tamen ea movere nolunt, fugiunt quod precipiunt,  
fugiunt cum se subtrahunt,

fugiunt qui licet presentes sint, cum negligentias viderint, se sub silentio abscondunt.  
Fugiunt qui prava agunt et reprehendi nolunt.

Audiat igitur negligens pastor, quid sibi et diligent pastori dicatur.  
Bonus pastor, inquit, animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius vero fugit (Joan. X).  
Animam suam pro ovibus suis ponit, qui periculoso regiminis ascendens locum,  
clauso silentii ostio, claustralium gregem in pace custodit.  
Animam ponit, qui ad sustinenda iurgia causa rei familiaris solus exit,  
qui inter adulantium et detrahentium linguas medius incedit,  
qui pro infirmis laborat, et laborantes pascit,  
consolatur pusillanimes, et cum superbis increpando contendit.  
Talis pastor dicere potest: Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae (Joan. X).  
Cognoscunt oves pastorem, quem saepe vident praesentem,  
quem familiaritas notum, beneficentia reddit amicum.  
Oves vero pastor agnoscit, dum subjectorum mores et actus diligenter attendit.  
Unde scriptum est: Considera diligenter vultum pecoris tui (Prov. XXVII).

Hugo de Folieto, *De clastro animae libri quatuor*, 2.12 (PL 176, col.1059B-C).

Pastor vero negligens fugit. Sunt quidam praelati, qui fugiunt, quod precipiunt.  
Cum onera gravia et importabilia imponunt,  
et ea digito movere nolunt, fugiunt quod praecipiunt;  
fugiunt, cum se subtrahunt;  
fugiunt, cum per alienas domos vagantes discurrunt;  
fugiunt, qui quae sua sunt quaerunt;  
fugiunt, licet praesentes sint, qui cum negligentias viderint, se sub silentio abscondunt;  
fugiunt, qui remoti a conventu sub otio vivunt, qui a communi fratrum concilio recedunt,  
qui prava agunt et reprehendi nolunt.

Hugo de Folieto, *De clastro animae libri quatuor*, 2.12 (PL 176, col.1060A-B).